

*des, Orionem & Arcturum* ex fixis stellis adjungunt. Quæ omnes humorem in vaporem conversum è terra attrahunt, inq; mediam aeris regionem elevant.

XXIX. *Efficiens causa proxima* non est eadem, neq; *Proxima*, etiam eodem modo pluvias producit. Est enim vel *calor* vel *frigus*.

XXX. *Calor* pluvia est efficiens, quando nubem concretam liquefaciendo dissolvit. Contraria enim contrario in invicem ut plurimum agunt modo: jam verò calidum contrariatur frigido; quin igitur frigore concreta solvantur calore, nullum erit dubium: ad oculum hoc patet in *adype, oleo, butyro, melle, glacie, nive* & similibus. Testatur etiam *experientia*, veritatis magistra, quòd tempore hyemali, quando immensa frigoris vehementia, non adeò largè aut facilè pluvia generentur ac decidant, sicut æstivo tempore, quando summa est caloris intensio. Videatur *Zanch. de oper. sex. dier. part. 2. l. 3. c. 5. thes. 1.*

XXXI. Verùm *iste calor* est vel à radiis solaribus, qui in nubibus istis inflexi, gignunt calorem: vel ab exhalatione in nubibus æstuante: vel à fulminibus & fulgetris, quibus nubes finduntur ac liquefiunt: & hinc evidens est *ratio*, quòd tempore vehementiorum tempestatum pluvia sint densiores ac copiosiores; cum hæc fulminum actio sit efficacissima, subitoq; nubes liquefaciat.

XXXII. *Frigus* deniq; pluvia est efficiens, quando per modum condensationis è nubibus humorem exprimit. Hinc *Aristoteles l. 1. Meteor. c. 13. ait: δια ψυχρότητα συνίσταται ὁ ἀτμίζων ἀήρ εἰς ὕδωρ*, propter frigiditatem coit vaporosus aer in aquam. Id quod videre est in *vaporariis & humidis hypocaustis*, ubi vapores ad parietes vel fenestrarum orbiculos frigidos propulsi condensantur, & in guttulas aqueas resolvuntur. Eodem modo vapores è ven-